

Disputatio medica inauguralis de pneumonia: : quam, annuente summo numine, ex auctoritate reverendi admodum viri, D. Georgii Baird, SS.T.P. Academiae Edinburgenae Praefecti; ... eruditorum examini subjicit Georgius Dent, anglus.

Contributors

Dent, George, active 1802.
Baird, George Husband, 1761-1840.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebant Adamus Neill et Socii, 1802.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/jhehbpwk>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PNEUMONIA

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PNEUMONIA.

DISSERTATIO MEDICA

IN ACUTISS

PHLEGMONIA

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE

PNEUMONIA:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et

Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GEORGIUS DENT,

ANGLUS:

viii^o Kalend. Julii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCIJ.

1802.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

PNEUMONIA:

QUAM

AVGVSTO EUGENIO ERMANN,

MD. AUCTORI REVERENDI SSIMO

D. GEORGII BAIRD, S.T.P.

ACADEMICAE PROMOTIONIS CAUSA

SCRIPTAM

JOSEPHUM BENJAMIN AUSTINUS, CANTUARIENSIS

UNIVERSITATIS FACULTATIS MEDICAE PRÆF.

Die Octavo Decimo

ANNO DOMINI MDCCCXIII

IN AUSTINUS, CANTUARIENSIS

UNIVERSITATIS FACULTATIS MEDICAE

GEORGII BAIRD,

MD. AUCTORI

Die Octavo Decimo

MDCCCXIII

IN AUSTINUS, CANTUARIENSIS

UNIVERSITATIS FACULTATIS MEDICAE

PRÆF.

CAROLO FOSTER GORING, ARMIGERO,
DE HIGHDEN, COMITATU SUSSEX IN ANGLIA;

OB AMICITIAM FRATERNAM
QUAM FAMILIARITER PERCEPTAM;

OB AFFECTUM PATERNUM
QUAM LIBERE ABUNDANTEM;

ET

OB INNUMERA BENEFICIA
ADEO BENIGNE ET ADEO SUAVITER COLLATA,

UT QUÆ

EX MENTE GRATA

NUNQUAM SINT DILAPSURA,

HOC,

QUALE EST,

OPUSCULUM

D. D. D. QUÆ

AUCTOR

GEORGIUS DENT.



Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PNEUMONIA.

PROOEMIUM.

SUMMAM medici attentionem pulmones optimo jure sibi vindicant, quippe qui, officia summi momenti præstent, fanitasque eorum ad valetudinem integram tuendam omnino necessaria est. Malè affecti, morbos gravissimos sæpius inducunt, ad quorum naturam investigandam unumquemque medicum qui generis humani salutis ritè consulere cupit, animo quàm maximè incumbere oportet.

A

Morbi

Morbi pulmonum, ex confesso haud facile curantur; diagnosi vera prognosisque certa adhuc difficiliùs reddantur, ideòque medicinæ peritissimos, principesque ipsos, haud rarò fallunt.

Quum igitur de hujusmodi morbis in tam caligine alta versamur, ut scriptoribus etiam si ingeniosissimis negotium summum ritè præbuerint, viribus admodum diffusus opusculum hocce aggredior. De hac re verbis igitur LIVII, rerum gestarum scriptorum facile principis, uti lubet: “ Et si in tanta scriptorum turba mea fama in obscura sit, nobilitate ac magnitudine eorum meo qui nomini officient, me consoler *.”

SPECIES PNEUMONIÆ VARIÆ.

PULMONUM partiumque vicinarum inflammationem in varias species, pro sede ejus variante,

* LIVII Hist. Præfat. p. 1.

riante, nosologi diviserunt, singulisque nomina propria imposuerunt: At, ni fallor, hoc sine causa fecisse videntur, propterea quòd signa occurrentia ad distinctiones ejusmodi tuendas, minimè pertinent, discriminaque talia in praxi parùm utilitatis, me judice, habent. Eam inflammationem qua pleura costalis affecta existimabatur, Pleuritidem multi nuncupaverunt; at putà sic aliquando esse, hanc rarò ita affici, multòque sæpius pleuram pulmonalem affectam, signa omnia gignere, mihi mens est, quæ illius affectioni attribui censuerunt.

Quanquam inflammationi quæ pleuris minimè affectis a pulmonum parenchymate, seu tela cellulari orta, ibique sedem potissimùm habere credita est, Peripneumonix nomen nosologi quidam dederunt: Attamen an ulla inflammatio acuta hancce originem sibi vindicet, ni fallor, dubitandum est: Verique me judice similius est, et hanc et phlegmasias omnes ex parte membranosa originem ducere, membranamque pulmonum externam, partemve pleuræ aliquam semper affectam fuisse, de hoc, cadavera

davera incisa, si mens me rectè moneat, nos certiores faciunt.

Inflammationis vestigia, tum in jecoris, tum in cerebri, tum in pulmonum parenchymate, post mortem aliquando reperta fuisse, non inficias ibo ; at signum hocce, ex morbo aliquo longiore, signo phlegmasiæ evidentè nullo unquam explorato, semper pendere mihi persuasum habeo.

Causa hujusce sententiæ fulciendæ, verbis CULLENI jure celeberrimi, uti, et lubet et juvabit: “ To me it seems probable, that the disease is always seated, or at least begins, in some part of the pleura ; taking that membrane in its greatest extent, as now commonly understood ; that is, as covering not only the internal surface of the cavity of the thorax, but also as forming the mediastinum, and as extending over the pericardium, and over the whole surface of the lungs *.”

Signa

* Vide CULLEN's First Lines, vol. i. p. 342.

Signa insuper quædam, aliis exemplis, seu ut erat persuasum medicis, generibus, vel insolita, vel ab his aliena, delirium nimirum, risus sardonius, motusque alii convellentes, genus a reliquis diversum præbere, exque pleuræ septum transversum superius tegentis parte potissimum inflammata, pendere putabantur; et genus hoc Paraphrenitiden nominaverunt. Hanc quidem partem aliquando inflammatione affectam esse nequaquam inficior: Ast an signa modo recensita affectioni huicce tam propria sint, ut genus morbi diversum inde constituendum sit, anceps hæreo. Septum transversum aliquando affectum sine delirio satis constat; nec rarò sine ejus affectione deliratur. Utroque autem conjuncto, causæ delirii aliæ, magisque manifestæ facile reperiuntur; inter has, inflammatio per pleuram latè diffusa, pyrexia ipsius violentia, aut partium intra cranium affectio, ritè recensendæ sunt. Febrem ipsam, sive propriam, sive, ut in phlegmasiis aliisque morbis, symptomaticam, vel vehementia sua, vel typo peculiari, parte nullo vitio affecta, delirium sæpe

sæpe inducere omnibus medicis liquet. Causas hujusce signi, alias incisione cadaverum compertas habemus.

Denique, de inflammatione duorum aliorum thoracis viscerum, nimirum pericardii cordisque, medici differuerunt. Has species, Pericarditiden, Carditidenque nuncupavêre, propriaque signa quibus dignoscantur, scilicet, cordis palpitationem, syncopenque statuerunt: at hæc signa cordis inflammationi nequaquam propria sunt, propterea quòd, corde malo prorsus immuni, in partium vicinarum vitio sæpe occurrerunt. Et pericardium et cor ipsum, sine inflammatione pneumonica, aut erosa, aut abscessibus vitiata, aliquando reperta fuisse facilè concedimus; ast hujusmodi inflammationes, ni fallor, ad genus longè diversum potius pertinent, et absque signis inflammationum acutarum propriis, vel semper vel plerumque adfunt; internaque affectio, siquando signis ejus cognoscenda erat, ex origine potius alia, quàm inflammatione, me iudice, nasceretur, ideóque a thoracis phlegmasiis alienæ judicandæ sunt.

Nosologis

Nosologis horum viscerum inflammationem ab inflammatione partium thoracis aliarum distinguuntibus, nequaquam assentiri velim; propterea quòd, sine hac illa nunquam ferè existet, signa utriusque communia sunt, eadem ratio medendi, aut ad utramque quidem pertinet, aut si a syncope cordisque palpitatione cor ipsum suspectum habeamus, illa accuratiùs adhibenda videbitur.

A sententia morborum diverforum facile igitur discedimus, affectionesque partium suprà recensitarum internas, sub Pneumoniæ nomine comprehendere volumus.

DEFINITIO.

Hunc morbum adeò distinguere, ut a morbis pulmonum aliis clarè dignoscatur, minimè facile est. Aptior definitio quàm ea CULLENI, me iudice, nulla est. Sub classe Pyrexiarum ordineque Phlegmasiarum, nosologus ille accuratissimus Pneumoniam collocavit, eamque perspicuitate, quæ in definitionibus

bus ejus omnibus facilè reperienda, descripsit: “ Pyrexia, dolor in quadam thoracis parte, respiratio difficilis, tussis.”

HISTORIA MORBI.

SIGNA præcipua quæ in hoc morbo sese ostendere solent, nunc paulò accuratiùs enumeranda veniunt. Languor, corporisque lassitudo initio plerumque sentiuntur; quibus frigoris sensus, horror plùs minùsve gravis, vires admodum convulsæ infractæque, calor auctus, succedunt. Verùm, dolor lateris acutus, fixus, pungens, nonnunquam verò obtusus, cum ponderis distentionisque in præcordiis sensu, costam sextam septimamve sæpe occupans, interdum ad scapulam, interdum verò ad sternum claviculasve jaculans, signa jamjam recensita paucis horis subsequitur. Arteriarum pulsus plerumque pleni, frequentes, duri, validi, citatique, aliquando verò, statu morbi præsertim pro-

vectiore,

vectiore, debiles necnon inæquales, morbo ad mortem tendente, aut exiles aut tremuli, aut nonnunquam deficient.

Tussis aliquando, morbo præcipue invadente, sicca, sæpe verò humida, cruenta, dolorem augens, ægrotum exercet. Sputa nunc copiosius, nunc pro colore, variant: sub initium morbi, plerumque tenuiora, minùsque colorata, dein paulatim spissiora, in album-flavum, viridescentemve colorem abeuntia, aliàs sine sanguine, aliàs eo tincta evadunt. In quibusdam exemplis, ni fallor, sanguis purus expuitur.

Respiratio perpetuò difficilis, sub inspiratione præsertim aucta, sæpe nonnisi trunco corporis erecto exercenda. Spiritus cum fibulo aliquando trahitur. Morbo ineunte, cum rhoncho, anhelitu crebro, ægri vexantur, non secùs ac equus post cursum, nares aliquando expandunt, pectusque sonum edere videtur. Exemplum unum in quo ægro respirationem moliente, thorax summus cum scapulis movebatur, HIPPOCRATES,

B

facile

facile princeps medicorum, compertum habuit *.

Decubitus in latus affectum plerumque difficilior ; aliquando verò, at multò rariùs, graduque morbi postremo, dolor anhelitusque, ægro in latus sanum inclinato multùm ingravescunt, causâque hæc signa sublevandi, æger supinus jacere cogitur. Facies tumida sæpe evadit, vultusque florescit ; anxietas inquietudoque urgent ; fitis premit ; oculi inflammantur, deliriumque supervenit ; vespere noctuque omnia ingravescunt ; dolor capitis vehemens ; lingua fordida, cutis sicca, alvus compressa, urinaque multùm colorata, infestant. Nec loqui nec deglutire, morbo ingravescente, ægri interdum possunt. Sputum supprimitur ; extrema frigescunt ; sudores frigidi, locoque proprii, nec totum in corpus ex æquo diffusi, erumpunt.

Signa suprâ recensita omnia ad Pneumoniâ constituendam necessaria minimè habenda

* Vide Hipp. Lib. Epidem. tert. ; Sect. Secund. ; Ægro septimo.

da sunt: Pauca eorum tantum, Pathognomica dicta, definitioneque enumerata, semper adfunt, morbumque constituunt: Reliqua adventitia forsan considerata, propterea quod aut praesentia aut absentia morbi naturam non mutant,

PNEUMONIÆ FINES.

FINES quatuor, Resolutionem, scilicet, Suppurationem, Gangrænam, Effusionemque sanguineam, vel exudationem ex superficie pleurae interna, Pneumonia habet. Harum tres priores cum partium aliarum inflammatione communes, quarta verò huic. De unaquaque harum verba pauca nunc ordine facienda sunt.

RESOLUTIO.

Partis laborantis textura adhuc integra, vestigioque inflammationis nullo superstite, morbus resolutione solvitur. Congestione spasmusque mediocribus, eoque actioni vasorum

auctæ

auctæ promptè cedentibus, crisis hæc et fausta et optata facilè evenit. Causâ hocce modo sublatâ, effectus haud invitè tollitur. Inflammationis pneumonicæ resolutionem aliqua excretio aucta plerumque comitatur. Materiæ spissæ, albescentis, subflavæ, aliquantulo sanguinis tinctæ, sputum copiosum, conatuque tussendi levi stipatum, frequentissimè saluberrimum evadit. Partim a folliculis bronchiorum mucosis, partim a vesiculis exhalantibus humorem serosum emittentibus, sputum hocce enascitur. Quòd ad sanguinis strias quidem attinet, hæc aut a vasorum laxatione, aut ab eorum ruptura, proveniant. Sudor calidus, tenuis, copiosus, totoque corpore diffuens, morbi resolutionem sæpius comitatur, crisinque forsan efficit, propterea quòd, eo adhuc manante, arteriarum pulsus pauciores evadunt, calorisque, et pyrexiaë signorum aliorum remissio, sæpissime consequi observatur.

Epistaxin diebus morbi primis profusam, nonnunquam pneumoniam prosperè solvisse judicatum est. De hac re non magnoperè pugno,

pugno, at an sæpe accidat non mihi liquet. Sin autem, statu præsertim morbi provectiore, sanguis e naribus copiosè evadat, hoc pro signo infausto, quippe quòd ostendit sanguinis per pulmones transitum multum impeditum, habendum, quidam auctores sentiunt. Excretiones aliæ resolutionem pneumoniæ adjuvare dicuntur: Hæmorrhøis, bilis profluvium, alvi ductio, urinaque sedimenti multum habens, inter has enumerata sunt; quæ veruntamen, æquè ac epistaxis, ni fallor, insolita, minimèque in illud propositum sufficere existimanda sunt.

SUPPURATIO.

Quòd ad suppurationem, in quam morbus hic definat, quidem pertinet, de puris formatione, naturave ejus, interea loci differere non mihi in animo est; propterea quòd, et hujusce opusculi limites non facultatem faciunt, et a proposito nostro alienum foret.

Serum, vel actione vasorum exhalantium auctâ, vel dilatatione, effusum, haud facilè re-
forberi,

forberi, forsan dixisse sufficiat. JOANNIS verò PRINGLE, Equitis, aliorumque experimentis, dici potest, serum effusum mutationem aliquam subire posse, quâ ferofitate reforptâ, in humorem album, opacum, exque parte aliqua viscidum pus dictum, gluten mutatur.

Re ita se habente, in suppurationem morbus definere dicitur. Ex signis permultis, quæ hunc statum facilè præfagiunt, quæve jam factum testantur, pauca tantum enumerare liceat. Tempus quo pneumonia vel in resolutionem, vel in suppurationem terminatur, variis in exemplis ita varium, ut quicquid de eo certius, vix ac ne vix quidem affirmari possit. Veruntamen, morbo per dies plures persistente, signisque nec levissimis, nec urgentibus, suppuratio maximè metuenda est. Eundemque eventum, ægro supino, spiritum quàm antea graviolem trahente, suspectum habere oportet. Spirandi difficultas aucta, et dolore signisque aliis simul remittentibus, inter suppurationis indicia ritè habenda est. Pulsus, horrore levi subinde recurrente, molliores

res evadentes, sputumque evanescens, de fine eodem nos certiores faciunt.

Doloris remissio adhuc major, dyspnœa tussique auctis, decubitus in latus sanum difficilis, ponderisque in thorace sensus, pulsus plerumque imbecillior, ac tardior, interdum verò plenior crebriorque, pyrexia primùm vespere exacerbata, dein in typum hecticæ mutata, circa caput præcordiaque sudor, pus formatum sine dubio arguunt. Vomicâ ruptâ sputando interdum transeat, hocque modo, ulcus aliquando sanatur; aliquando verò, in asperam arteriam copiâ magnâ irrumpens, ægrum malè suffocat. Quin empyema phthisique aliàs creet, nemo dubitat. Exempla verò quædam, ubi pleuræ costali septove transverso pulmones statu inflammato fortè adhæserint, aut extrinsecus, aut in abdominis cava, vomica perrumpitur, medici comperta habuerunt.

GANGRÆNA.

Quod ad Pneumoniæ finem tertium, nimirum Gangrænam, quidem pertinet, hanc leviter attingere liceat, quippe quæ rariùs fit, signisque effusionis plerumque stipata, ab hac ægrè distinguenda fit. Mortis indicem esse, inter omnes convenit. De terminatione alia, nempe schirro, nonnulli scripserunt; at inter inflammationis fines, schirrus vix ac ne vix quidem enumerandus est; propterea quòd, glandulis solis, ni fallor, proprius, inflammationem sæpius antecedit, rariùs si unquam subsequitur; ideòque hunc silentio transire, sermonemque ad effusionem vertere, lubet.

EFFUSIO.

Effusio causas varias sibi vindicat, ægroque exitium plerumque affert, ut thorace inciso sæpe patet. Aliquando sanguis ipse in telam pulmonum cellulofam extra vasa diffusus, vasa comprimendo, circuitumque impediendo, ægrum

grum e medio strangulatione tollit ; aliquando verò fluidum serosum ex superficie pleuræ internæ exudans, modò crustæ molli viscidæque simile, modò formam membranæ pleuram ubicunque contingentis sese induens, compertum habemus.

Si quando aut pleuræ costali, aut mediastino pulmones adhæreant, membranam suprà dictam has partes præcipuè occupare, vinculumque adhæfionis constituere, CULLENUS illustrissimus sibi persuasum habuit. Verique simile est, idem fluidum serosum in bronchiorum cava aliquando effusum esse, idcirco, quia nonnullis, quibus morbus hic paucis diebus exitium attulit, humore seroso albescente, pauloque crassiore bronchia referta, medici compererunt. Hancce effusionem serosam esse, parte tenuiore resorptâ, prorsùs existimo, sententiæque DE HAEN me pœnitet esse, qui pus in sanguinis circuitu formari firmissimè asseveravit.

Nec solùm in bronchiis defunctorum talis effusio reperitur ; at, MORGAGNIO celeberrimo

C

teste,

teste*, etiamque in vivis aliquando excernitur. Ille anatomicus solertissimus de materia crassiore rejecta, ac a manu explicata, imaginemque bronchiorum necnon referente, nos certiores facit. Effusio eadem in thoracis pericardiique cavis, formâ hydro-thoracis, sæpeprehenditur. Follicula bronchiorum mucum vehentia, sputis in pneumonia copiosissimis, materiam semper præbere non dicere auserim: materiæ hujusce partem, a fluido seroso suprâ dicto pendere, ni fallor, verisimilius est, sputaque speciem puris præ se toties ferentia æquè ac materiam purulentam quam in bronchiis DE HAËN sæpe animadvertit, ab eadem origine petere lubet.

Denique, fluido hocce seroso in bronchia cum sanguine rubro effuso, in propinquo mors est. Effusio feri ipsa vitam ad exitum facile perducit, at sputo impediendo perniciem præcipue denunciat. Impedimentum hocce, non viribus expuendi debilitatis, me iudice, ritè attribuendum

* Vide MORG. de Caus. et Sed. Morb. epist. xxi. art. 20.

attribuendum est, propterea quòd sputa sæpe ejici desinunt, ubi nullum aliud debilitatis signum adest, ubique bronchia post mortem fero effuso repleta reperiuntur. Morbo signis gravissimis invadente, effusio feri sanguinisque rubri hæcce verè metuenda est; eandemque factam, vires multò subitòque infractæ, faciei livor, vultus pallidus, spirandi difficultas extrema, vel potiùs orthopnœa, dolor ex toto sublatus, pulsus debilis, maximèque frequens, sensus oppressionis ægrè ferendus, anxietasque, satis superque certè testantur.

Historia finibusque morbi hoc modo traditis, pauca de Diagnosi differamus oportet.

DIAGNOSIS.

DE junctione morbi hujus cum Hepatitide, medici quidam nos certiores faciunt; at exemplum hujusmodi, ni fallor, rariùs fit; hepatitisque dextri hypochondrii tensione; dolore, manu premente, multùm aucto, tussì fic-
ciorè,

cione, minùsque molesta, vomitu singultuque, a Pneumonia plerumque facilè dignoscitur: Spiritum graviozem, pyrexiamque vehementiorem, pneumonia nec non sibi vendicat. In hocce morbo, decubitus in latus affectum difficilior; in hepatitide verò faciliior evadit.

Quoad Peripneumoniam notham, medicis nequaquam idem animus, dissentioque in ea est, quod CULLENUS, GREGORIUSQUE nostri iure celeberrimi, affectum inflammatum a pneumonia vera nonnisi gradu inflammationis, affluxuque humorum in pulmones copiosiore, diversum esse contendunt*; alii a causa prorsus diversa, nimirum totius corporis, maximeque pulmonum, debilitate pendere malunt. Si nostram quoque opinionem interponi liceat, peripneumoniam notham catarrhi naturam sibi vindicare, in dubio nequaquam verifamur.

Utrique morbo indicia propria esse, nobismet ipsis est persuasum. Peripneumonia notha

* Celeb. GREG, Prælect. de Med. Prac. audit.
—CULLEN's First Lines, Sect. 380.

tha senectute confectos, habitumque corporis laxum habentes, necnon catarrho diu laborantes, potissimum invadit. Catarrho quoque haud rarò * supervenit. Pneumonia verò, vino, diætæ lautiori, spirituique ardenti deditos †, ac fibris tensis gaudentes, plerumque tentat. Quinetiam tempore hiberno, regionibusque frigidis, hæc, teste CELSO, grassari consuevit. “ Hyems autem, capitis dolores, tussim, et quicquid in faucibus, in visceribus mali contrahitur, irritat. Ex tempestatibus, Aquilo tussim movet, dolores lateris et pectoris excitat ‡.”

Notha dolore capitis immani, vomitu, vertigine, somnolentia, sensuque ponderis, angustiaeve, in parte thoracis aliqua, sæpius stipatur; pyrexia autem, vel lenis, vel omnino abest. Speciem materiæ pulmones infarci-
entis, peripneumoniam notham, a pneumo-
nia

* MORG. de Sed. et Caus. Morb. Epist. xxii. art. 13.

† SYDENHAM, Cap. iv.

‡ CELS. de Re Med. lib. ii. cap. 1.

nia distinguere observandum est; quippe quæ, in illa pituitosa, in hoc verò sanguinea, plerumque evadat.

A Pleuritide Spuria morbus de quo agimus cautè discernendus est, propterea quòd hicce loci error, vitam ægri in discrimen facilè conjicere possit. In pleuritide spuria spirandi difficultas vix ac ne vix quidem adest. Tussis autem nulla, aut sine sputo levis; dolor pressu auctus, sæpe cum tumore rubideneque*.

Quod ad Pleuritiden quidem pertinet, difficultatem diagnosis in medium suprà attulimus, signaque permulta generi utrique communia, nec non invenimus, limitesque inter utrumque certos plerumque haud facilè poni posse, concedimus; attamen facultatem unius ab altera dignoscendæ, aliquando medicum expertum penes esse, forsitan confiteri oportet; ideoque inter alia signa diagnostica, sequentia enumerare liceat.

In pneumonia, arteriarum pulsus aliquando mollis; in pleuritide semper durus: In illa,
dolor

* GREG. Prælect. de Medic. Pract. audit.

dolor frequentius obtusus; in hac, dolor pungens, acutus, sub inspiratione auctus, tussisque dolentissima, laborantem exercent.

Quoad decubitus in specie hacce, inter medicos nequaquam convenit. MORGAGNIUS in latus affectum decubitus ægro levamento esse contendat *. CLEGHORNIUS verò expertissimus †, F. HOMEUS, *Materiae Medicæ* in hacce Academia Professor emeritus ac illustris ‡, CULLENUSQUE §, cui rarò falli accidit, in sententiam omnino contrariam pedibus discessere, decubitusque in latus affectum molestum esse affirmant. Non nostrum tantas componere lites.

Ad pneumoniam a morbis aliis distinguendam, definitio historiaque sufficiant.

CAU-

* MORG. de Sed. et Caus. Morb. epist. xxii. art. 15.

† CLEG. *Diseases of Minorca*.

‡ Princip. Medic.

§ CULL. Gen. Morb. p. 17. Spec. 2.

CAUSÆ.

DIAGNOSI hocce modo expositâ, causæ morbi nunc, inveniendæ sunt.

CAUSA PROXIMA.

Quod ad causam proximam quidem pertinet, ut in morbis aliis permultis, sic et hîc, me in tenebris versari facilè agnosco, ideóque nihil certè promittere ausim. Quum phænomena pneumoniæ propria, nec ad eò manifesta, nec tam facilia intellectu sint, ut causam ejus proximam expeditè inde deducere possimus, ex inflammationis partium externarum analogia eam petamus oportet, rationeque inflammationis externæ signis ritè habita, haud me pœnitet eorum sententiæ esse, qui eam a spasmō vasorum extremorum pendere judicant. Verùm, aut medicamentis idoneis, aut viribus naturæ adjuvantibus, spasmō hoc-

ce sublato, signa inflammationis reliqua brevi minui consueverunt.

In hanc sententiam de causa morbi proxima, GAUBIUS, verbis sequentibus, ni fallor, ivit: “ Hâc positâ, morbus continuò se manifestat; hâc ablatâ, tollitur:” Ideòque arteriarum extremarum spasmus, actionem, harum auctam sustinens, sanguinis impetum in pulmonum vasa et efficiens, pro causa pneumoniæ proxima, ritè forsan habendus est, spasmus qualemcumque adesse, fitis magna, cutis arida, alvus compressa, urina parca, aliaque hujusce morbi signa, ni fallor, clarè ostendunt. Sputa quæ exitum faciunt morbi per sanguinis detractiones, epispastica, similiaque curatio spasmus, me iudice, quoque inducant.

CAUSÆ REMOTÆ.

Hîc duo maximè agenda nobis: Causæ quæ corpus ad morbum proclive efficiunt,

D

quæque

quæque eundem in corpore proclivi excitant, evolvendæ sunt.

Causæ quæ periculo pulmones opportunos faciunt, scilicet, causæ prædisponentes seminumve facientes.

Hæ aut corpori toti communes, aut pulmonibus ipsis propriæ sunt. Inter illas tempora anni certa, nimirum hyems ac ver, numeranda ritè veniunt. Hyems potissimum nocet, propterea quòd, frigus tunc temporis prævalens, foraminula cutis magis minùsve semper occludit, perspirationemque hoc modo minuendo, in partes internas fluida propellit. Munere autem hujusce evacuationis vel suppressæ, vel parcius frigore redditæ, nec alvi dejectiones copiosiores, nec urinam quantitate auctam semper fungi posse, medicis omnibus liquet. Hinc causa patet, cur corpus plenius irritabiliusque evadat. Insuper observandum, ut vere, habitu tempestatum vario, vicibusque frigoris et caloris alternantibus, pulmonibus periculosius fit. Hinc forsan causa patet, cur Britannia incolæ, mor-

bis

bis inflammationem habentibus, præcipuèque pulmonum affectibus, obnoxii maximè evadant.

Temperamentum sanguineum, fibris rigidis plerumque præditum, corpus morbo huic obnoxium efficit. “Temperamento” (inquit cl. SYDENHAMUS) “sanguineo præditos, præ reliquis aggreditur; sæpe etiam rusticos, et *duro jam fractos membra labore**.” Et qui cibo duro impuroque, scilicet, aut leguminibus aut carnibus, aut piscibus falsis, primoque induratis affueti, et qui spiritus vinosi potui dediti sunt, TRILLERO judice, periclitantur: “Venatores, milites, olitores, rustici, cursores, aurigæ, equifones, et id genus, ex ima cavea alii†.” Item neque victus plenus lautiorque, neque exercitatio vehemens, semper sine gravi noxa sunt: Quin hæc ad sanguinis quantitatem augendam, ideòque ad plethoram producendam, valeant, nemo dubitat.

Evacuationes

* Vide SYDENH. Oper. cap. iii. de Pleuritide, sub initio.

† Vide TRILLER, de Pleuritide, Aph. 18. et 19.

Evacuationes solitæ, five naturales, five arte factæ, aut imminutæ, aut suppressæ, corpus huic morbo proclive efficiunt. Inter illas, perspirationem, menses, hæmorrhagiasque alias usu inveteratas; inter has, profluvia per setacea fonticulosque facta, enumerare liceat.

Ætas inter annum quadragesimum ac sexagesimum, habitusque corporis robustus, potissimum ad morbum hunc viam sternunt. Quod ad sexum quidem pertinet, vasa laxiora reditusque menstruorum frequens, fœminas huic morbo obnoxias efficiunt.

Sunt et aliæ causæ locales prædisponentes, quæ corpora huic morbo procliva facilè reddunt. Inter has thoracis angustiam, dilatationemque pulmonum, debitum prohibentem transitum sanguinis; impetu ejus, quoquo modo aucto, difficiliorem præstantem: Nec non, tumores, aut schirrofos, aut scrophulosos, vel in pulmonibus, vel in thoracis viscere, quoque alio existentes enumerare liceat. Morbos priores ad pneumoniam homines procliviores reddere, insuper observandum est.—His præcurfis,

præcurfis, caufas occasionales, five potestates nocentes, exequamur oportet.

CAUSÆ OCCASIONALES.

Inter has, frigus ritè præcipuum habendum est : cum humore conjunctum, frigus corpori calenti potissimum nocet, propterea quòd, materiæ perspirabili per invisibilia foraminula mananti iter claudit, ideòque eam in vasa bronchialia impellit. Verique simile est, materiam hocce modo in bronchia perlatam, his stimulum evadere.

Verumenimvero, quare materia perspirabilis, vires bronchialia sola petendi proprias sibi vendicat, causa quoad nos quidem latet. Quin autem res se ita habeat, nequaquam in dubio sumus. Vim aëris frigidi tracti, ad cava vasorum per superficiem pulmonum internam distributorum minuenda, ut advertamus quoque oportet. Quòd ad facultatem hancce quidem pertinet, eam aëri frigido inesse, ex vi frigoris astringente, ni fallor, patet.

tet. Cavis autem horum vasorum diminutis, ut pleniora evadant necesse est, plenitudoque hæcce, formam congestionis paulatim induere potest; eoque facilius, quod exhalatio per vasorum horum extremitates, frigore multum minuitur.

Contentio pulmonum nimia, aut clamore aut canendo, ut tibiâ, instrumentove alio inflando, morbum hunc in corpore prædisposito facilè excitat. Motus corporis exercitatioque vehemens, vel a quiete longa, vel habitu tempestatis frigido, haud rarò pneumoniam creant. Inter causas pneumoniæ excitantes, usus aquarum stagnantium, HIPPOCRATE iudice, enumerandus est*. Pathemata mentis præcipua, iracundia vehemens, ad morbum huncce producendum, aliquando valent. Vapores varii, sive acriores, sive edaces, scilicet, ab arsenico, sulphure, acido muriatico, exhalati, sine gravi noxa rariùs ore trahuntur.

RATIO

* Vide Lib. de Aëre, Aquis, et Locis.

RATIO SYMPTOMATUM.

Pyrexia.—Frigus causa pneumoniam excitans præcipua, vasculis corporis extremis spasmus faciliè inferre potest. Hunc autem horror, sensusque frigoris, semper comitantur. Ad spasmum autem tollendum, vis medica-trix naturæ, et renisu corporis, et actione va-forum aucta, plerumque feliciter laborat. In spasmo autem renisuque corporis eum subse-quente, pyrexia ex magna parte consistere videtur.

Dolor in quadam thoracis parte.—In pneu-monia, sicut in phlegmasiis aliis, dolor a fibra-rum muscularium, arteriolas inflammatas cin-gentium, distentione magnâ, plerumque pen-dere videtur. Copia autem sanguinis, impe-tusque ejus auctus, huic distentioni ansas præ-bent.

Dolor aliquando lateris pungens acutus.—In-flammatione membranam primam occupante,
vasa

vasa partis sanguinem vehentia, summa cum difficultate distenduntur; pro ratione autem hujusce difficultatis, dolor auctior, pungentiorque evadit.

Dolor thoracis aliquando obtusus.—Re ita se habente, sanguinis impetui, vascula partis, ni fallor, facilè cedunt. Aliquandoque serum, aliquando etiam sanguinem, in telam cellulosam effundunt.

Quòd ad arteriarum *pulsus*, vel *molles*, vel *duros*, quidem pertinet, ratione eadem uti lubet. Vasis partis inflammatione laborantis ægrè distentis, ut irritatio major moveatur necesse est, ideòque totius arteriarum generis contractiones, et validiores et duriores facilè evadunt. Re autem aliter se habente, pulsus arteriarum molliores fieri oportet. Si quidem arteriarum pulsus morbo ineunte, validi durique, incrementum verò, et debiles et molliores fiant, effusioni vel sanguinis vel feri, arteriæ pulmonalis ramos comprimenti, reditumque sanguinis, in auriculam cordis sinistram impedienti, signum hocce attribui potest.

Spirandi

Spirandi difficultas,—a transitu sanguinis per pulmones difficili, sanè oritur; vasis sanguinem vehentibus, bronchia comprimentibus, transitumque aëris liberum iis denegantibus, ut summa cum molestia laboreque æger vel inspiret vel expiret oportet. Æger autem spiritum graviolem trahit, propterea quòd thoracis dilatatio plena, vasa inflammata malè comprimit, ideòque dolorem multum auget.

Faciei tumidæ color purpureus.—Congestio in pulmonibus summa reitui sanguinis libero e capite obstat, ideòque molem ejus in vasis capitis ac faciei, vi aëris oxygenante privatam, plus justo accumulatur, modoque hocce et tumorem faciei et colorem ejus purpureum facillè gignit.

Tussis plerumque humida, sæpe cruenta.—Irritatio omnis, siue pulmonibus ipsis, siue asperariæ arteriæ admota, tussim facillè movet. Verum sanguis in vasis pulmonum præter naturam congestus, in bronchia exhalatio nimia, necnon aut sanguinis aut feri in hæc effusio, irritationem facillè producunt. Ad eundem effectum producendum, mucis acris se-

cretio haud parùm valet ; quò autem copiofior, eò acrior forfan fecernitur. Verique fimile eft, mucum acriorem evadere, propterea quòd tuffis affidua poteflatem naturæ blandioris acquirendæ, parte nimirum tenuiore abforptâ, ideòque opportunitatem, tracheam bronchiaque ab aëris irritatione defendendi ei denegat. Pro ratione caufarum harum, tuffis plùs minùsve urgeat oportet.

Per ftadia morbi omnia, tuffis, vel humida vel cruenta, ægrum plerumque exercet. At fi gradu ejus primo ficca evadat, conftriktioni fpafmodicæ arteriarum exhalantium, glandularumve mucofarum iter claudenti, ideòque muci halitùsve in bronchia curfum impiediendi, effectum huncce attribuere liceat ; fin autem gradu extremo, effufionem bronchia infarciendam ideòque poteflatem expuendi tolerantem, in crimine ponere lubet. Cavendum igitur vitium hocce debilitati attribuatur, eoque fanguinis detractionem negligendo, ne ægri vita in difcrimen conjicienda fit.

Tuffis plerumque humida,—vel conftriktionem vaforum exhalantium minorem, vel impetum humorum

humorum auctum, causam sibi, ut mihi videtur, vendicat.

Tussis sæpe cruenta—a distentione, vel varisa lacerante, vel extremitates eorum ita dilatante ut globuli rubri elabi possint, procul dubio oritur.

PROGNOSIS.

IN pneumoniæ prognosi tradenda, pyrexia, tussis, dolori, præcipuéque spirandi difficultati, rationem habeamus oportet. Pyrexia vehemens, tussis frequens ac dolens, vel ægro morbo ineunte ingruens, vel stadio ejus provectiore suboriens, inter signa pessima ritè recensendæ sunt. Morbo sine sputo, vel rariùs vel nunquam resoluto, tussis sicca non bona haberi potest. Dolor perquam acutus motu aliâve ratione auctus, periculi expers nequaquam existet; dolor autem obtusus, ponderisque sensum magis quàm doloris veri excitans, acuto multò periculosior evadit; statu morbi provectiore

provectiore perstans, spirituique graviori sese comitem præbens, malè potissimum auguratur, propterea quòd effusionem, vel instantem vel factam, facilè significat. Dolor a latere altero in alterum migrans, procul dubio ægrotanti periculum minitatur; idcirco quia vim diathesis phlogisticæ, vel in toto corpore vel in thorace potissimum, ostendit.

Spirandi difficultas—inter signa pessima jure habenda est. Ubi spiritus ægro in latus jacente tantummodo trahi potest, periculo nequaquam vacat; cùm autem spirandi potestas ægro supino solùm inest, magis periclitatur; orthopnoëa verò, cum sudore circum caput, cervicemque potissimum prorumpente; vultu tumefcente, necnon rubefcente; pulsuque inæquali et debili stipata, periculum summum, ni fallor, mortem, prædicant. Delirium anxietasque aucta, infaustum eventum facilè præfagiunt.

In pulmonum inflammatione, quibus circa initium urinæ crassæ sunt, deinde ad quartum diem tenues evadunt, mors impendit. Pleuritide aut peripneumoniâ detentâ, alvi profluvium

profluvium superveniens, malum *. Quibus ab angina liberatis ad pulmonem morbi fit conversio, ii intra dies septem moriuntur; si verò hos effugerint, purulenti evadunt †. A peripneumonia phrenitis, malum ‡. Vigilia perstans, aut leves somni, certam mortem ægrotanti denunciant: tunc morbi violentiam æger non sentit; extremitates frigent, ungues livent, necnon curvantur; delirat; dieque quarto septimove moritur.

Verumenimvero, si in pulmonis inflammationibus inter initia morbi sputum excernitur, flavum, non multò permixtum sanguine, tussisque magnæ aut gravis expers, salutare est, et confert admodum; septimo verò die ac tardiùs, non adeò securum §. Hæmorrhagia narium diebus morbi primis; sudores

* Vide HIPPOCR. Aph. Sect. 6. Aph. 16.

† Sect. 5. Aph. 10.

‡ Sect. 7. Aph. 17.

§ Vide HIPPOCR. in Prænot. 5.

dores calidi, fluidi, copiosi, universi, pulsu tardiore, calore, signisque febris aliis imminutis, fausti ominis habendi sunt. Sanguis e venis hæmorrhoidalibus profusus, dejectiones alvi biliosæ; urinaque sedementum copiosum habens, fausti ominis sunt. Cùm inflammatio in pus convertitur, si per urinam aut alvum excernitur, ægri liberantur*.

Quòd ad morbi crisin quidem pertinet, intra septem aut novem dies, vel longissimè octodecim, judicare possumus. Si numerum dierum huncce æger transgreditur, HIPPOCRATE judice, non facilè moritur; at tussit, pus expuit, pectus dolet, empyemaque gignitur.

De hujus morbi fine, cursus ejus vel brevis vel longus nos quodammodo certiores faciet. Inter diem tertium septimumque, laborans e medio sæpius tollitur, ideòque post diem septimum, si signa mitiora evadant, faustum exitum sperare liceat; ast a die tertio ferè ad septimum,

* Vide HIPPOCR. in Prænot. 7.

septimum, dolor remittens, adstantes imperi-
tosque vanâ spe sæpe decipit; namque re-
missio hæcce, effusionem vel feri vel sanguinis
causam sibi vendicat, nec rarò præcursor
mortis existit.

RATIO MEDENDI.

IN morbi hujus curatione, indicationes tres,
ni fallor, præsertim dantur. 1. Actionem va-
forum vel corporis totius, vel partis affectæ,
auctam minuat; 2. Sputa promoveat, medi-
cus oportet. 3. Irritationes necnon tollendæ
sunt.

I. *Ad actionem vasorum auctam minuen-
dam*, medicum omni studio animo incumbere
oportet. Causâ indicationis hujusce absol-
vendæ, sanguis, incisâ venâ pro signorum vio-
lencia, ac ægri viribus, citò, copiosè iterum
iterumque detrahendus est. Quòd ad quan-
tatem sanguinis missi quidem attinet, gra-
dum

dum sistere, nihilque determinare lubet. Propterea quòd statûs morbi ægrique conditionis, ratio semper habenda est. Si æger, firmus, robustus pleniorque sit, sanguis ad libram ex vulnere magno tutò mittitur; uncias viginti quatuor plûsve pro larga, duodecim verò minûsve pro detractiõne modica, haberi oportet. Detractio una vel parùm plerumque valet; vel si dolor, spirandique difficultas, detractiõne primâ paullulum recedant, violentiâ haud minore priore citò redibunt.

Re ita se habente, sanguis eodem die æquè ac antea, forsitan copiosè rursùs mitti debet; attamen doloris remissio, spiritusque, sanguine profluente, lenior evadens, quoad copiam tunc temporis detrahendam, medicum certiolem facere potest. Si signis hisce non aliter succurrere possimus, ut sanguinem usque ad animi deliquium mittamus, procul dubio oportet; veruntamen ne animus ante copię sanguinis debitæ detractiõnem deficiat, sanguis ægrotanti supino nonnunquam mittatur. Quosdam deliquiis hisce primâ detractiõne oportunos;

portunos ; alteram verò tertiamve meliùs perlaturos, medicis omnibus liquet.

Sanguinis detractionem sub initium morbi remedium efficacissimum esse, inter omnes convenit ; attamen post diem morbi quartum quintumve adjumento nulli ægro esse, medici quidam sibi persuasum habuerunt : Alii verò, nec, me judice, inconsultè, signis malis absentibus, remedium hocce multò longiùs prodesse contendunt ; at GREGORIO nostro eruditissimo expertissimoque, sanguinem ante diem tertium missum citiùs levare proponenti facilè assentior *. Ad signa morbi graviora tollenda, venæ incisæ, ter quaterve plerumque valent ; si autem detractiones priores vel parciore justo fuerint, vel post detractionem largam, spirandi difficultas, dolor lateris, tussisque sicca redierint, indicio aut suppurationis aut effusionis nullo adstante, viribus ægri non multum fractis, sanguinis missio, quarto vel quovis die, vel ad finem morbi usque, proculdubio adhibenda est.

F

SYDEN-

* Prælect. GREG. audit.

SYDENHAMIIUS uncias XL*, TRILLERUS uncias x vel xv, ter quaterve detrahendas †; LIEUTAUDIUS uncias xii, missionem triplicem forsan quadruplicem solam tutam esse, majoresque periculo magno nequaquam vacare, contendunt. PRINGLIUS consilium SYDENHAMII ad morbum curandum prorsus impar, nec sine vesicatoriis adhibendum fuisse, censet; at quoad copiam sanguinis detrahendi maximam, ipse tacet ‡. GREGORIO idem animus est §. CLEGHORNIUS quantitatem unius detractionis minimam uncias xvi fuisse, uncias autem xx vel xxiv sæpius detraxisse, necnon eodem die iterasse, plusque crastinò misisse, nos certiores facit. Signis autem postea redeuntibus, intra diei ejusdem spatium, se sanguinem ad xii, xviii, vel etiam xxiv uncias, misisse monet ||.

CULLENI,

* Cap. citat.

† Loco citat.

‡ PRINGLE's Diseases of the Army.

§ Prælect. audit.

|| Diseases of Minorca, chap. vi. on Pleurisy, p. 240, & 241.

CULLENI, viri jure magni nominis, sententiæ esse haud me pœnitet. Medicus hicce celeberrimus doctissimusque ægrum firmum, robustum pleniorēque, sanguinis detractionem, ad libras quatuor vel quinque per bidui tri-duive spatium, sustinere posse, compertum habuit*. In spatio autem temporis longiore, intervallisque majoribus, venam aliquando sæpius incidendam esse credidit.

Sententiæ autem BOERHAAVII optimi, de detractione usque ad crustam solutam continuanda, adversari liceat. Inter notas certas crusta nequaquam habenda est, quippe quæ nec semper phlegmasias comitetur, nec semper affectionibus putridis obstit, venaque sani fortè incisa, sæpe conspiciatur. Pro detractionis modo, tempestatum habitu vario, figuraque vasis quo sanguis recipitur, crusta insuper facile variat. In sanguinis detrahendi copia dijudicanda, hancce cum notis aliis aliquantum valere, nequaquam inficior; ast eam solam pro norma minimè utendam esse, contendere

* First Lines, § 364.

tendere lubet. Ideòque cùm de sanguine detrahendo requiritur, non crusta sola, at unà cum hac, notis propositis judicemus oportet.

Hirudines, cucurbitulæve cruentæ, ad partem affectam admotæ, aliquando optimè valent. Hoc autem conveniet, si spirandi difficultate quodammodo cessante, dolor lateris vel manè potissimum urgeat. Re ita se habente, sanguis quàm proximè ad partem laborantem mitti debet.

Stadio morbi primo, sputa nonnunquam sese ostendunt; at signis gravioribus aliis instantibus, venam incidere omittamus minimè oportet; propterea quòd sub initium morbi, spes salutis in sputorum virtute nequaquam ponenda est. Verùm, si gradu morbi proVectiore, et sputa libera copiosè ejeciantur, et signa alia minitania remissionem subeant, tandem scalpello parcendum: Sin autem, vel sputis postea repressis, vel dolore lateris, spirituque, etiamsi sputa maneant, urgentibus, scalpello iterum iterumque utamur oportet; idcirco quia nullo modo meliùs morbo occurratur. Gradu morbi priori, sanguinis detractio,

tio, sputa rariùs supprimit; ni fallor, sæpius promovet: Gradu autem provectiore, debilitate evacuationibus, vique morbi inductâ, sputa sanguinis missione, vel facilè minuuntur, vel omnino supprimuntur.

Causâ indicationis hujusce absolvendæ, epispasticâ thoraci admoveere liceat. Ex usu JOANNIS PRINGLIJ, Equitis, aliorumque scientiæ peritiorum, vesicatoria pneumoniâ laborantibus eventu fausto admoveri, nunc omnibus patet. De tempore autem remedii hujusce adhibendi, non inter omnes convenit. Cl. PRINGLIUS, venâ, antequam cantharidum stimulus dolorem excitaret, incisâ, contentus vixit; usuque hujus remedii maturo, se morbo venienti occurrissè, ideòque effusionem humoris vitalis feliciter præcavissè, sibi persuasum habuit*.

De ratione hujusce medici illustrissimi disputare piget; ast epispasticorum usum, nisi in morbo admodum levi, ante sanguinis detractionem unam alteramve, in rem minimè fore credo;

* Vide Diseases of the Army.

credo ; quippe quæ ad actionem partis affectæ auctam minuendam, tunc temporis, me iudice, parùm valent. Veficatorio autem admoto, nonnisi irritatione ejus sublatâ, venam iterum incidere oportet. In morbi hujusce curatione, veficatoria iterum iterumque sæpe indicata sunt. Re ita se habente, parti thoracis alicui semper admovenda, propterea quòd extremitatibus aliisve partibus remotis applicata, ni fallor, minimè profunt.

Alvi ductio, ab aliis nimis laudata, ab aliis autem multùm vituperata, indicationi huicce quodammodo inservit ; ideòque nec in sententiam SYDENHAMII de usu purgantium in hoc phlegmasiisque aliis facilè ibo, nec alvi strictæ solutionem tutò negligendam puto. Diarrhœam quidem, sub initium morbi, multùm prodesse, nequaquam contendo ; at laxantia lenia, enemataque emollientia, ni medici summi fallantur, sæpe commodum aliquem præstant.

Quod ad emetica quidem pertinet, pleuritide ingruente, se aquâ tepidâ hausta ventriculum eluisse, CLEGHORNIUS nos certiores facit.

cit *. Veruntamen emetica, me judice, cautè adhibenda, propterea quòd partes affectæ concussu multùm periclitantur, ideòque antimonium tartarifatum, dosibus refractis, ad nauseam tantummodo ciendam, vomitui pleno antepondere lubet; graduque morbi provectiore, et causâ spasmi sublevandi, et sputi promovendi, duce CULLENO, remedium hocce adhibere liceat †.

Sudores, quanquam morbus hic, sudationibus spontè prorumpentibus, aliquando faustè discutitur, arte cautè excitari debent; idcirco quia, aut calore aut stimulantibus elicit, laboranti exitio facilè sint: Si verò post signorum remissionem, corpus liberè sudare cœperit, boni ominis haberi, ideòque diaphoreticis mitioribus ei succurrere oportet. Sin autem sudor, vel viscidus, vel per membra omnia non diffusus, spirandique difficultate etiamnum manente, summo cum periculo, ni fallor, elicitur.

II. *Sputa*

* Diseases of Minorca, chap. vi. p. 263.

† CULLEN'S First Lines, § 391.

II. *Sputa promovenda sunt.*—Quod ad hanc indicationem quidem attinet, quum nullo modo meliùs pneumoniæ succurritur, curam in hac re summam medici semper impenderunt. Causâ indicationis hujusce absolvendæ, diluentia tepida, demulcentia mucilaginosæ, remediaque expectorantia dicta, adhibenda sunt. Diluentia, vasa extrema laxando, nec non implendo, optimè præstant; his autem decocta avenæ hordiive, vel acido vegetabili, vel fructu maturo, gustui grata reddita, materiam faciliè præbent; partitis vicibus pro potu sumenda, ne spiritui, suâ sponte gravi, quantitate ullo modo afficiant.

Causâ tussis leniendæ, sputique promovendi, medici, demulcentia, emollientia, necnon salina, tutè feliciterque præscripserunt. Quoad expectorantia, pleraque gummi, ob vires suas calefacientes, medici nunc jure suspecta habent. Antimonii tartarizati potiones fastidium excitantes, scillæque præparationes, in horum locum ritè substituerunt. Mucilaginosæ, oleosæ, demulcentiaque, vel acrimoniam muci obtundendo, vel glottiden partesque vicinas,

cinas, a materia irritanti defendendo, ideòque parte materiæ hujusce tenuiore, aut calore, aut absorptione dissipatâ, reliquam in folliculis spissando, sputo transitum faciliorem forsitan præbent. Stadio morbi provectiore, CULLENUS usum ammoniæ laboranti inculcabat.

Aquæ calidæ vapores, in pulmones ore recepti, partes laxando, mucique munere forsitan fungendo, ad sputum expediendum haud parùm valent. Causâ ejusdem effectus absolvendi, balneum tepidum, pediluviaque potissimum, medici quidam, eventu fausto sæpe præscripserunt.

III. *Irritationi signisque aliis gravioribus occurrere convenit.*—Quod ad irritationem tollendam quidem pertinet, regimen antiphlogisticum imprimis adhibendum est: Omnia quæ vel terrorem ægro incutere, vel animum ejus commovere possunt, cautè diligenterque evitanda sunt. Lux nimia, quippe quæ multum stimulet, ritè prohibeatur. Calor major haud parùm nocet. Hinc causa patet, cur

G

hoc

hoc morbo laborans, in cubiculo amplo maneat, nec lecto nimium utatur oportet. A loquela, quippe quæ pulmones malè exerceat, æger caveat. Neque ulla res magis adjuvat laborantem quàm tempeſtiva abſtinentia.

Indicationi huicce, quædam refrigerantia aliquando optimè inſerviunt. Inter hæc, acida fatis diluta, ſalesque medii, jure habenda ſunt. Ex acidis autem in hac phlegmaſisque aliis, vegetabile cæteris facilè anteponendum: ex ſalibus verò neutris, nitrum, doſibus parvis, cauſâ refrigerandi, præſcribere liceat. Hoc potione medicus ſolvere caveat, propterea quòd talis mixtura nauſeam facilè movet.

Hiſce, remediisque talibus, irritationi, et ſub initium et ſtadiis morbi omnibus, obviam eundum eſt. Sin autem tuſſis urgeat, ſpirandi difficultate febreque remotis, opiata, me judice, fanè indicantur: Quin opium, diatheſin phlogiſticam plerumque excitet, nemo dubitat; nihilominus cautè adhibitum, dolorem mitigando, ſomnum inducendo, motum
ſanguinis

sanguinis celerem reprimendo, tussimque compescendo, ni fallor, profit.

Hisce remediis aptè adhibitis, ægro ad sanitatem perducto, restat, ut vires corpori restituere conemur. Causâ effectus hujusce præstandi, cibus nutriens, concoctuque facilis, at non nimis lautus, ut putà, jusculum bovinum vervecinumve cum pane, assumendus est. Convalescentem, carnem quoque esse liceat; at carne animalium juvenum præcipuè utendum; propterea quòd his fibræ multò teneriores sunt, particulasque alimentarias in omnia membra digerendas faciliùs præbent. Cùm convalescens prandet, utiliùs est exiguum aliquod sumere, ne vires ventriculi opprimat. Sub pleno Jove, pro viribus ejus, convalescens sese quotidie exercere debet; at exercitatio citra fatigationem semper fiat, et post exercitationem paullulum conquiescere opus est.

Ufus vini modicus, corpore roborando, ad valetudinem restituendam haud parùm confert, cinchonaque effectum præstantissimum jure sibi vendicat: Et vinum cinchonaque,
formulâ

formulâ infusionis, conjuncta adhibenda sint, nisi ventriculus fortè recuset. Sin autem convalescens nausêâ pressus sit, ad formulam decoctionis cum elixir vitriolico protinùs confugiendum est.

Causæ morbum excitantes sedulò evitandæ sunt; præcipuè, habitu nostri cœli vario, indusio laneo utatur oportet æger.

Causâ vires reficiendi, signis pneumoniæ omnino remotis, balneo frigido interdum uti prodest.

Ab indicationibus hisce rationem medendi in pneumonia trahere lubet, rationeque medendi hacce, æger citò tutòque curatus, proprias vires maturè recipiet, refectioneque a morbo confirmatâ facilè gaudebit.

FINIS.